DISPUTATIO JURIDICA De

ÆSTIMATIONE QUÆ FIT PER JUSJUrandum in litem,

Quam

Divinâ aſpirante gratiâ

In Celeberrimâ VVittebergenſi Academia

SUB PRÆSIDIO

HELFRICI ULRICI HUNNII U. J. D.

Publici exercitij cauſsâ proponit

STEPHANUS REIMERUS

Goslarienſis Saxo.

Ad diem 13. Martij, in Auditorio JCtorum.

VVITTEBERGÆ,

Ex Officina Johan. Gormanni

ANNO M. DC. XII.

AMPLISSIMIS, CLARISSIMIS,
Conſultiſſimisq; Viris,

Dn. Iohanni Reccio,
Dn. ERNESTO SPIEGELBERGERO,
COSS. IMPERIALIS REIP.
GOSLARIENSIS MERITISSIMIS,
&
Dn. FRANCISCO CLEINIO J.U.D.
EXCELLENTISS. EJUSDEMq; CIVITATIS
SYNDICO LONGE DIGNISSIMO,

Patronis, Mecœnatibus ac Promotoribus ſuis ſummè colendis.

Hanc civilem Diſputationem ut debitæ obſervantiæ ac gratitudinis ſignum: ut qualiscunq; ſtudij ſui indicem

Dedicat ac mittit

STEPHANUS REIMERUS
GOSLARIENSIS.

Disputatio Juridica
De
Æſtimatione quæ fit per Jusjurandum in litem.

Thesis I.

Cum Jusjurandum in litem præ cæteris juris noſtri articulis, omnium propè Interpp. ſcriptis cùm ab utilitate, tum à difficultate ſit inſigniter commendatum, non pœnitebit laboris in ejus tractationem impenſi.

II. Litis verbum in jure noſtro eſt homonymum ac multifariam capitur. Obrecht. de litis conteſtatione cap. *1.* n. *10.*

III. Hìc verò ſignificat rem in judicium deductam, ſeu id, de quo in judicio lis eſt ac controverſia. l. *1* l. *5.* l. 8. ff. de in lit. jurand. Borch. de in lit. jur. c. *1.* n. *8.* Donellus ad rubric. d. tit. n. *2.* Diſs. Anton. Fab. *16* conject. *1. Aliter* Hotom. in comment. ff. de in lit. jur.

IV. Ut proinde jusjurandum in litem ſit illud, per quod rem, de qua litigatur, æſtimamus. d. l. *1.* ff. de in lit. jur. l. *46.* ff. de R. vindic. Donell. d. loco. n.

co. n. 2. *Aliter* Coraſ. in cap. 1. tit. 6. Miſcell. *Et aliter* Weſenbec. in parat. de in lit. jur. n. 2.

V. Illudq́; vulgò triplex conſtituitur: veritatis, Affectionis, & Singularis intereſſe.

VI. E quibus Affectionis juramentum retinet Anton. Faber: *Cætera verò repudiat, inq́; locum jurisjurandi veritatis aliud ſubſtituit, quod ipſe Neceſſitatis appellat.* in lib. 16. conject. 1. & 13. & in Error. pragmat. decad. 17. Error. 8.

VII. Coraſius *non niſi unicum, veritatis, agnoſcit,* in d. lib. 6. miſcel. 1. & 2. *Ex profeſſo refutatus* à Giphan. in l. 24. de R. Jur. & Borch. in d. tractat. de in lit. jur. c. 2. n. 16. & ſeqq.

IIX. Alij deniq́; duo admittunt: Veritatis & Affectionis, quorum ſententiæ, ut tutiori & veriori ſubſcribimus. p. l. 4. § 2. l. 8. junct. l. 2. l. 3. l. 5. § plane. ff. hoc tit. l. l. 68. ff. de R. vindic. Borcholt. d. c. 2.

IX. Etenim æſtimatur interdum res per jusjurandum Actoris ex vero, ſeu quanti ea revera eſt. l. 5. § 1. ff. de in lit. jur.

X. Interdum verò ex Affectione & arbitrio Actoris ultra verum ejus precium. l. 1. l. 8. ff. d. tit.

XI. Unde Neceſſariò conſequitur duplex illud, quod diximus, juramentum: Illo quidem caſu veritatis: Hoc verò Affectionis Donel. in rubric: tit. de in lit. jur. n. 6.

XII. *Af-*

XII. Affectionis juramentum illud appellatur, quo actor rem ſuam, quam reus ex contumacia vel dolo non reſtituit, ultra verum ejus precium ex Affectione in infinitum æſtimat. d. l. 1. l. 4. § 4. ff. de in lit. jur. Donellus d. rubr. n. 2. Giphan. ad l. 24. ff. de R. Jur. n. 3.

XIII. Defert autem hoc juramentum ſolus judex, ita ut ſi alius detulerit, nulla ſit ejus religio, nec ullum juramentum. l. 4. §. 1. ubi Donell. n. 2. ff. de in lit. jurand. l. 5. eod. Borcholt. d. tract. c. 3. Setzerus de juram. l. 5. cap. 3.

XIV. Sed utrum poſſit judex pro ſuo arbitrio illud etiam non deferre? Quæſtionis eſt. Negant hoc ſimpliciter. Anton. Fab. 16. conject. 17. Duaren. ad l. 5. § 2. d. tit. ibidemq; Coraſ. n. 21.

XV. Donellus *diſtinguit, utrum de dolo ac contumacia rei conſtet; annon: ut illo caſu coactus etiam judex deferat: Hoc verò non niſi volens.* in d. l. 4. § jurare enim fin. *Sequitur hunc* Setzerus de jurament. lib. 5. cap. 3. n. 6. Bolognettus in l. 5. n. 37. ff. de in lit. jur.

XVI. Rectius forſan Borcholdus, *qui diſtinguit: ut ſi rem adhuc poſſideat reus, ejusq; reſtituendæ habeat facultatē, liberum ſit judici jusjurandū deferre actori vel poſſidenti rem manu militari auferre.* l. 2. in fine l. 4. § ſed an judex l. 5. § 1. ff. de in lit. jur. junct. l. 68. ff. de R. vindic.

XVII. Sin dolo malo rem poſſidere deſierit, tunc demum judex compellatur ad deferendum. d.l.4.§ *1.* Borcholt d.tractat.cap.*3*.n.*2*.

XIIX. Quamvis, ne immoderatè atq; in immenſum juretur, poſſit ipſe ſtatim ab initio ſtatuere certamq; ſummā præfinire, ad quam usq; juretur. l.*4*.§ *2* ibidemq; Donellus & Duaren. & idem Donellus *26*, comm.*11*.l.*5*.§ *1*.d.tit. Borcholt d. tract. de in lit. jur. cap. ult. n. *2*. Diſs. Anton. Fab. in Error. pragmat. decad. *18*. Error. *9*. & *16*. conject. *17*. Coraſ. ad d.l.*5*. n. 20. ff. hoc tit.

XIX. Quam ſummam Bart. olim, eumq; ſecuti Fulgoſius & Albericus negarunt veræ æſtimationis duplum excedere poſſe, non ſine ratione reprehenſi à Duaren. in d.l.*5*.n.27. & ibid. Coraſ. n. *2*. Alijsq; è recentioribus.

XX. Quin imò etiam, poſtquam juratum eſt, poterit judex juramentum moderari, atq; ex magna cauſſa reū vel abſolvere, vel in minus, quàm juratum eſt, condemnare. l. 4. § 3. ff. de in lit. jur. ibidemq; Donell. & Duaren. Borcholt. in d. tract. de in lit. jur. c. ult. & Coraſ. in d. l. *5*. n. 20.

X.X Defertur porrò hoc Affectionis juramentum ſoli actori; Et tamen nec huic, niſi volenti: Quandoquidem id in ejus ſolius gratiam inventum eſt ac introductum. l. *71*. ff. de R. vindicat.

l. tutor

l.tutor 8.ff.de in lit. jur. junct. l.pen. C.de pract. Setzerus de jurament.lib.5.cap.3.n.9 & 10.& cap. 4.n.23.Donellus ad l.fin.n.10. ff.de in lit.jur. Borcholt. d. tractat.c. 3.n.26. &27.& ſeqq.

XXII. Nec etiam defertur cuivis actori, ſed illi ſolùm, qui dominus eſt litis, quiq; litem ſuo nomine eſt conteſtatus. l.7.l.8. ff. de in lit. jur. Borchol. d. tractat. c. 3. n. 5. Donellus ad l. 4. in pr. d. tit. & 26. Com. 9. Sezerus d. lib. 5. de juram. c. 4. n. 1.

XXIII. Idcirco non committitur procuratori, quia is non ſuo, ſed domini ſui nomine litem conteſtatur. Borcholt.de in lit.jur. c. 3.n. 6. Setzerus d. lib. 5. cap. 4. n. 2. & ſeqq.

XXIV. Nec Matri in negocio liberorum, Niſi tutrix ſit: cùm aliàs nec domina ſit litis, nec dominæ loco habeatur. l. 4. in pr. ubi Donellus n. 7. ff. de in lit. jur. Borcholt. d. cap. 3. n. 21.

XXV. In tutelari verò cauſſa, hoc eſt, pupillari, ſeu ad tutelam remq; pupilli pertinente Tutores & Curatores, etiamſi inviti non cogantur ſub alieni compendij emolumento perjurium anceps ſubire. d. l. 4. in pr. ubi Donellus n. 7.

XXVI. Si tamen tantam effectionem pupillo ſuo, vel Adoleſcenti præſtare velint, auctoritas juris ipſis non refragabitur. d. l. 4. in pr.

XXVII. Ipſimet verò pupilli, ſi impuberes ſint,

ob

ob judicij imbecillitatem ad hoc juramentum admitti non debent. d. l. 4. in pr. ubi Donellus n. 7. Borcholt. in d. tract. n. 7. vide etiam Setzer. d. lib. 5. c. 4. n. 7. & ſeqq.

XXIIX. Eademq́; etiam de cauſſa, nec furioſi, nec mente-capti aut prodigi: cùm hi nec alia ſua negocia ob animi defectum rectè gerere poſſint. l. in Negocijs. l. furioſi. ff. de R. jur. Donell. d. loco n. 5.

XXIX. Defertur hoc juramentum non in omnibus paſſim judicijs, ſed in quibusdam ſolùm. l. 5. ubi Interpp. ff. de in lit. jur.

XXX. Et quidem in actionibus in rem, cujuscunq; ſint generis, in litem juratur. l. 5. ubi Donel. n. 2. Coraſ. n. 16. ff. d. tit. l. 68. ff. de R. vindicat. l. 16. ff. de pignor. l. harum in fine ff. ſi ſervit. vind. Borcholt. in d. tractat. de in lit. jur. c. 4. Donell. 26. comm. 8. Setzer. lib. 5. de juram. cap. 5.

XXXI. Siquidem his ille tantùm agit, qui vel Dominus eſt rei, vel certè domini loco habetur: At verò dominum de re ſua jusjurandum in litem habere, jam modò in præcedentibus dictum eſt per l. 7. & 8. ff. de in lit. jur.

XXXII. Excipit Anton. Faber ex omnium numero actionem Hypothecariam, quaſi in hac nunquam in litem juretur, quod ipſi defendendum relinquimus. Vide l. ſi functus 26. § in vindicatione

3. ff.

3. ff. de pignor. Borcholt. c. 4. n. 18. & ſeqq. Setzer in d. l. 5. c. 5. n. 16.

XXXIII. In actionibus item perſonalibus bonæ fidei in litem juratur; ſed in illis tantùm, in quibus de re noſtra nobis reſtituenda aut exhibenda agitur. l. 5. in pr. junct. l. 2. l. 7. l. 8. ff. de in lit. jur. l. 68. ff. de R. vind. Borhholt. de in lit. jur. cap. 4. n. 71. Duaren. ad l. 5. n. 2. & 25. cum ſq. ff. de in lit. jur. & ibidem Don. n. 5. & 26. com. 8.

XXXIV. Unde in actione empti non juratur, quantumvis venditor ex procacia rem venditam emtori præſtare recuſet. l. 4. C. de act. empt. Donell. d. cap. 8. & ad d. l. 5. n. 4. ff. de in lit. jur. Borcholt. d. c. 4. n. 44. cum ſeqq. Anton. Fab. 6. conject. 17. & in Error. pragm. decad. 27. Error 7. Coraſ. ad d. l. 5. n. 19. ibidemq; Duaren. n. 21.

XXXV. Sicut nec in contrarijs bonæ fidei actionibus. arg. l. 3. ff. de in lit. jur. l. 1. l. 2. l. 7. l. 8. cod. Bellon. 1. ſupputat. jur. cap. 14. Coraſ. 6. miſc. 7. & in d. l. 5. n. 16. & 18. Borcholt. d. c. 4. n. 73. & ſeq. Setzer. d. cap. 5. n. 43.

XXXVI. In ſtricti verò juris judicijs hoc juramentum affectionis nunquam defertur, Exceptis arbitrarijs. In his enim jurari poſſe, indubium eſt l. 68. ff. de R. vindic. Donell. in §. præterea Inſt. de act. Borcholt. in d. c. 4. n. 32. & ſeqq. de jurejur. in litem.

XXXVII. Ideoq; etiam in actione doli, itemq; in actione quod metus cauſſa, quoniam & ipſæ arbitrariæ ſunt, in litem jurare permittitur. l. arbitrio 18 §.*1*.ff.de dolo Borcholt.d.c.*4*. n. 38.Setzer d.c. *5*.n.*24*.& ſeqq. Diſs. Anton. Fab. lib. *16*. conject. *18*. & in Error. pragmat.decad.*18*.Error.*6*.

XXXIIX. In omnibus deniq; interdictis, ex quibus arbitratu judicis aliquid reſtituitur, ex affectione res jurejurando æſtimari poteſt. l. *68*. ff.de R. vindicat.l.ſi quando C. unde vi l.ſemper.*15*. §. ſed quod ff. quod vi aut clam. Setzer. d. cap. *5*.n.*39*. Borcholt.d. cap. *4*.n.*63*.

XXXIX. Veruntamen in his univerſis ob ſolum dolum jurari, non etiam ob culpam, Marcianus ait in l. *5*.§.*3*.ubi Interprepp: ff. de in lit.jur.

XL. Quod JCti dicterium de levi duntaxat, & leviſſima culpa rectè accipitur à Donello in d. l.*5*. §.*3*.ibidemq; Coraſio n. *26*. & Duaren.ff.de in lit. jur.

XLI. Lata enim culpa cùm doli nomine veniat ac dolo æquiparetur. l.*1*.§.*1*.ff.ſi menſor fals. mod. dix.l.quod Nerva ff.depoſiti l. quæſitũ *12*. § Eum quoq; *3*.ff.de precar.l.*11*.§.fin.ff.de his qui not.infam.Donell.*18*.comm.8.pag. *161*. Duaren.ad l. *5*. ff.de in lit.jur. Coraſ.*4*.miſcel.*2*.n: 8.& 9.Cujac.7. obſ.8.Zaſius *1*.ſingul. reſponſ. *2*. n.36.cum ſeqq. Setzerus de juram.lib.*5*,cap.*6*.

42. Facit

XLII. Facit utiq; & huic jurijurando locum l. 2.C.de in lit.jur.Donell.26.comm.9. & ad d. l.5. §1.ibidemq; Coraſius n.26 pag. 627.Diſs.Weſen. in parat.ff.de in lit.jur.n.4.

XLIII. Obtinet porrò hoc juramentum in illis duntaxat rebus,quarum incerta eſt æſtimatio, & quas probabilis aliqua cadit affectio.l.3.ubiDon. & Coraſ. ff. de in lit. jur. Ant. Fab.16. conject. 1. & in Error.pragmat. decad. 17. Error. 9. Coraſ. 6. Miſc. 3, Donellus 26. com. 9.

XLIV. Idcirco de nummis cæterisq; rebus fungibilibus ac in pondere, numero ac menſura conſiſtentibus hoc jusjurandum nunquã præſtatur, ut ab Ulpiano reſponſum eſt in l. 3, ff. de in lit. jur. vide Dd. ſupra ad prox. theſin allegatos.

XLV. Et tantum de juramento in litem affectionis: ſequitur nunc alterum juramentum,quod veritatis appellant,quodq; hoc nomen ex re ipſa ſortitum eſt: Etenim æſtimatur per illud res non ex affectione, ſed ex veritate, & quanti revera eſt, aut quanti actoris intereſt l.5.§fin.junct.l.9.ff.de in lit. jur. l. 2. §2.eod.Setz.de juram.lib.5.c.2.n.7. Borch.d.tract. de in lit. jur. c. 2.Diſs.Anton.Fab. 1.conject.13. & Error. pragm. c.17. Error. 8.

XLVI. Idq; defert, perinde ut affectionis, ſolus judex ſoli actori d. l.5. §.fin.ff.de in lit. jur.

47. *Et*

XLVII. Et quidem quibusvis in judicijs, non ſolûm bonæ fidei & arbitrarijs, in quibus & affectionis juramentum deferri dictum eſt; ſed etiam in ſtricti juris actionibus d. l. 5. § fin. ubi Interpp. Anton. Fab. 17. Error. pragm. ult. Diſs. Donell. 26. com. *10*. pag. *299*.

XLIIV. Et ſive de dolo debitoris agatur, ſive de mora & culpa, qua res præſtanda perierit. d. l. 5. §. fin. ubi Donellus, Duaren. & Coras. ff. de in lit. jur. Borcholt. in d. tr. de in lit. jur. c. *2*.

XLIX. Cùm enim rei, quæ non amplius extat æſtimatio temporis præſentis per judicem haberi non poſſit, neceſſitas ipſa cogit, eam actoris jurijurando committere d. l. 5. § fin. ibiq; Donellus & Duaren. Ant. Fab. *16*. conj. *1*. Et in Error. pragmat. decad *17*. Error 8.

F I N I S.